



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1868**

De S. Cannico, Abbate Kill-Kennieni Seu Achadh-Boensi In Ossoria  
Hiberniæ Provincia Commentarius Historicus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)



## DE S. CANNICO, ABBATE

KILL-KENNIENI SEU ACHADH-BOENSI

IN OSSORIA HIBERNIÆ PROVINCIA

## COMMENTARIUS HISTORICUS

## § I. Memoria in Martyrologiis : cultus : qualiacumque Sancti gesta unde eruenda.

ANNO DCCIX  
VEL DCCVIII.  
Sanctus ejus  
memoria in  
Mrt.,

**I**nter Sanctos, qui seculo VI antiquam Scotiam seu hodiernam Hiberniam vitæ sanctimonia illustrarunt, hoc die memorandus venit S. Cannicus, Achadh-boensis, post a Sancti nostri nomine Kill-kenniensis dicti, olim nobilis monasterii fundatione celebris, quem Martyrologium Romanum ad præsentem diem breviter ita memorat: In Scotia sancti Cannici abbatis. Baronio præverat Usuardus, in cujus genuino textu sic legitur: In Scotia, sancti Cainichi abbatis. Apud ipso antiquiores nulla ejusdem fit mentio: unde colligit ibidem Sollierius noster, sanctum illum Abbatem singulari Usuardi diligentia, vel forte quod ipsum Ordinis sui abbatem Usuardus censuerit, aut in ipsa Gallia peculiari cultu fuerit celebratus, in sacris Tabulis locum obtinuisse. Florarium quoque nostrum Ms. eodem die ipsum sic celebrat: In Scotia sancti Canithi abbatis. Inter recentiores Castellanus et auctor Martyrologii Parisiensis ad eandem diem illum Cainicum appellant. Wionus in Ligno Vitæ, Menardus in Martyrologio et Bucelinus in Menologio Benedictino Sanctis sui Ordinis ipsum adscribunt; sed Mabillonio tam in Actis, quam in Annalibus rectius ignotus est. Joannes Wilsonius in Martyrologio Anglicano, quod anno 1608 patrio idiomate vulgavit, annoque ejusdem seculi 40 recognitum iteratis typis subjecit, geminum nectit elogium. In priore editione hæc habet Anglice, quæ Latine subjungo: In Scotia depositio S. Caniki abbatis et confessoris, cujus pia vita et miracula in toto Christiano mundo sunt nota, at præcipue in Scotia, ubi natus est, vixit, et circa Christi annum 800 obiit. In posteriori vero editione sic: In Hibernia depositio S. Caniki abbatis et confessoris, cujus pia vita et miracula apud posteros sunt celebra. Circa Domini nostri annum 800 obiit. At Wilsonium plurimum a vero aberrare, dum Sanctum circa annum 800 ex hac vita migrasse asserit, ex dicendis fiet manifestum.

Kill-kennix  
Officio

2 Kill-kenniensis Hiberniæ civitas Sanctum nostrum ut patronum olim venerabatur, atque quotannis XI Octobris die ipsius festum Officio ecclesiastico novem Lectionum, quarum sex ipsi propriæ, reliquæ vero e Communi Confessorum, ut vocant, legendæ præscribebantur, celebrabat: quod Officium ex Breviario ecclesiæ cathedralis Aberdonensis, anno 1509 edito, excerptum et in supellectili nostra literaria asseratum hic accipe: ORATIO. Preces nostras, quas tibi, Domine, in B. Caynici con-

fessoris tui atque abbatis venerationem deferimus, benignus suscipe, et ipsius interventu, quæsumus, clementer exaudi. Per Dominum etc. **LECTIO 1.** Caynicus, qui de Hibernia genus acceperat, et nomen, Scotiam veniens sub monachali habitu, et monasticorum habitu pluribus militavit annis. Eo namque tempore magnæ sanctitatis et devotionis vir B. Columba in Jona floruit insula, a quo, cum B. Caynicus eum visitaret, venerabiliter receptus est. **LECTIO 2.** Cumque simul confabularentur, varias sacræ Scripturæ quæstiunculas in medium S. Columba proposuit, quas perfecte, ut apparuit, humanam naturam superando, enucleavit, et audientibus claras B. Caynicus reddidit; ita ut sapientiam ejus B. Columba admiraretur, et ab eo interrogatus, unde hæc haberet, Caynicus respondit: Cum solitariam in eremo agerem vitam pro nomine Jesu, ille meum illustravit spiritum, et ruditatem meam spiritu oris sui deterit. **LECTIO 3.** Verum inito per fratres consilio Romam petiit; eo itaque itinerante per Italiam, incidit in latrones, qui cum eum spoliatum occidere niterentur, brachia eorum divina Pietas adeo compescuit et retraxit, ut quasi statuæ immobiles viderentur; sed prece beati Viri brachia, ut ante, sanata sunt, et ad se conversi latrones Deum et beatum Virum laudaverunt, ab eoque genibus flexis veniam postulantes abierunt.

F  
ecclesiastico

3 Tres mediæ Lectiones de Communi Confessorum sunt desumendæ. **LECTIO 7.** Quodam etiam die oblatum est beato Viro monstrum, mirabile ad humanam effigiem corpus habens sine brachiis; quod cum vidisset, fontem vivum de terra produxit, in quo monstrum lavit, et confestim omnia membra de massa perfecte proruperunt. E mago etiam, qui se tamquam Deum a populo arte magica coli persuaserat, signo sanctæ Crucis primitus facto, dæmonem, qui illum illuserat, effugavit, et artem magicam illam populo palam demonstravit. **LECTIO 8.** Contigit etiam dæmonem, virorum sanctorum insidiatorem, domum, in qua studebat B. Caynicus, igni dare, cumque Vir Dei domum igne valido accensam intellexisset, domum foris egreditur, et librum Evangeliorum, in quo ex tunc legebat, apertum reliquit, postea, singulis attamen in domo consumptis, liber Evangeliorum sine macula compertus est. **LECTIO 9.** His et quamplurimis aliis virtutibus et claris miraculis sanctus Caynicus mortuos resuscitavit, mare calcabile se præbuit, et cætera elementa



A elementa ejus nutui obediebant; animam cujusdam de manu demonum liberavit, surdos audire et loquela privatis fandi modum dedit. Tandem in bona senectute celeribus super æthera volavit pennis, angelico in præsens associatus choro.

et Missa honoratur.

4 Inter Missas proprias Sanctorum Patronorum Franciæ et Hiberniæ, jussu Clementis XII Papæ editas, una præscribitur ad diem xi Octobris, in festo sancti Canicii abbatis, ecclesiæ et civitatis Kilkenniensis patroni, quæ sequentis tenoris est: Introitus. Tenuisti manum dexteram et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me, Deus cordis mei, et pars mea in æternum. Psalmus: Quoniam bonus Israël Deus, his qui recto sunt corde. Oratio: Deus omnipotens, cujus servitus summa et plena est felicitas, præsta, quæsumus, ut beati Canicii imitatione subjecti, invicem in timore Christi, quasi filii obedientiæ, tibi libera charitate in sanctitate et justitia serviamus. Per eundem Dominum etc. Lectio Epistolæ ex cap. 12 epistolæ B. Pauli Apostoli ad Romanos a v. 9: Obsecro vos, fratres. Graduale: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis. y. Custodivi vias Domini et justitias ejus non repuli a me. Alleluia, alleluia. x. Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est, vir erat rectus ac timens Dominum et recedens a malo. Evangelium secundum Matthæum cap. 19 a v. 16: Unus accedens ad Jesum ait illi. Offeritorium: Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet, et delectare in Domino, et dabit tibi petitionem cordis tui. Secreta: Suscipe, quæsumus, Domine, preces et hostias, quas tibi offerimus; et concede, ut beati Canicii imitatione desideria carnis spiritu mortificantes, tibi soli serviamus. Per Dominum etc. Communio: Tu es spes mea, Domine, portio mea in terra viventium. Denique Postcommunio: Deus cordis postri et pars nostra in æternum, hujus perceptione Sacramenti tribue nobis, intercedente beato Canicio, ut tibi uni adhæreamus in terris, a quo speramus æternam hæreditatem in cælis. Per Dominum etc. Sed de his satis.

Inter præcipuos Hiberniæ Sanctos et Apostolos numeratur:

C 5 Sanctum Canicium nostrum inter præcipuos Hiberniæ Sanctos celebratum fuisse, ex variis apud Colganum, in Opere de Sanctis Hiberniæ, locis discimus: quippe in Annotatis ad Vitam S. Finniani pag. 398, num. 24 asserit, illum in quibusdam codicibus inter duodecim Hiberniæ apostolos numerari: in Catalogo Sanctorum Hiberniæ, quem Jacobus Usseus in libro de Britannicarum ecclesiarum Primordiis Commentario illustravit, inter primos Sanctos, qui post S. Patricium sub regibus Tuathail, Diarmata et duobus Murcdaig nepotibus Britanniam sanctitate illustrem reddiderunt, hic Sanctus recensetur: etiam in S. Columbæ Vita apud Colganum inter præcipuos, qui seculo vi in Hibernia floruerunt, Sanctos S. Canicium numeratur. Quatuor (inquit laudatus biographus) ex Hiberniæ illo ævo præcipuis Sanctis, venerabiles patres et monasteriorum fundatores, Comgellus scilicet abbas Benehorensis, Cannechus abbas Achadhboensis, Brendanus abbas Cluainfertenensis et Cormacus O Liethain abbas Darmagensis, una ex Hibernia profecti in Jonam insulam veniunt ad S. Columbam invisendum.

Octobris Tomus V.

6 Porro sancti Abbatis nomen apud varios varie scriptum legimus. Usuardus, ut vidimus, illum Cainichum appellat; Castellanus et auctor Martyrologii Parisiensis Cainicum. Apud Colganum in Vita S. Columbæ Cannechus, in Vita S. Congalli in Opere nostro ad diem decimam Maii Canicium scribitur: in Actis autem S. Finniani apud Colganum Cainichus dicitur, a Colgano vero Canicium appellatur. Usseus citati libri pag. 957 Sanctum vulgo S. Kenny nominari asserit, atque locum Achadh-bo, in quo ipse monasterium ejusdem nominis, quod Latine agrum boum significat, ædificarat, postea in civitatem, quæ hodieque Kilkennia, quod nomen Cellam sive Fanum Canicii denotat, vocatur, fuisse erectam refert. Unde jam varia illa apud diversos scriptores (Sancti nostri appellatio repetenda sit, mihi et Colgano prorsus ignotum est; ut sit, ego cum Colgano, Martyrologio Romano aliisque eum Canicium appellabo.

AUCTORE J. B. F. ejus nomen varie scriptum.

7 Dolemus sane, quod hujus sancti Viri Vitam nullam habeamus, quam studioso lectori utiliter exhibere possimus. Habemus quidem aliquam auctoris anonymi in codice nostro Ms. Salmanticensi notato Ms. 167, de qua Sollierius in Usuardi, quod edidit, Martyrologio ad hunc diem meminit: verum ea hujusmodi est, ut, etsi Rosweydeus illam aliquot Annotatis illustrare voluerit, ego tamen prorsus indignam prelo judicem. Etenim in ea via quidquam præter prodigia, qualia in jam supra transcripto Sancti Officio leguntur, reperias, eaque partim ex aliis Vitis mutuata, partim tam insulse relata, ut fidem apud eruditos non mereantur, nisi a peritioribus certioribus, quam anonymus ille fuerit, scriptore tradantur. Ecastare tamen alia Sancti Acta, discimus ex Colgano, qui tum in Actis Sanctorum Hiberniæ, tum in Triade Thaumaturga frequenter laudat S. Canicium Vitam, spondens se eam ad diem xi Octobris editurum; quod tamen, morte præpeditus, non præstitit. Hanc Vitam diversam esse a nostra, liquet ex eo, quod Colganus quædam ex illa recitet, quæ in hac desiderantur.

E Cur Vitam non exhibeamus.

8 Hujus itaque citatæ a Colgano Vitæ defectu cogor ad aliorum Hiberniæ Sanctorum, quæ exstant, Vitas recurrere, quæque in his sparsim narrantur, colligere. At priusquam id agam, lectorem duo universim monitum velim: primum est, Hibernorum Sanctorum Acta passim dubiæ esse fidei, et a scriptoribus minime accuratis ac ætate longe posterioribus conscripta. Alterum est, in iisdem frequentem occurrere rerum simillarum narrationem, quas variis Sanctis adscribunt; ita ut nescias, cui tuto adscribi possint. Hisce prænotatis ad Sancti gesta progredior.

F Sancti gesta unde eruenda.



AUCTOR  
J. B. F.

§ Sancti nativitas, quæ fertur prædicta a S. Patrio : parentes : patria. A S. Doco institutus, fit S. Finniani discipulus, ac deinde monasterium Achadhboense condit. Ipsi cum SS. Columba et Pulcherio familiaritas. Obitus tempus.

Sancti nativitas, quam S. Patricius prædixisse fertur :

Sancti Cannici *nativitatem multis, antequam in lucem ederetur, annis a S. Patrio, Hiberniæ apostolo, prædictam fuisse, auctor est anonymus scriptor Vitæ tripartitæ S. Patricii apud Colganum, ubi pag. 146 cap. 26 cum narrasset, S. Patricium in Kiennacta, quæ regio secundum Colganum in Ullonia, Hiberniæ provincia, sita Kiennacta Glinne Gemlin vocatur, nobilem virum Sednam cum sua familia ad Deum convertisse, sacroque fonte abluisse, hæc subdit : ibi (in Kiennacta) etiam prædixit sanctum Cannechum post tempora nascendum, futurumque decus eximium, communemque istius Kiennacthæ regionis patronum. Adhæc Colganus, qui, S. Patricium hæc prædixisse, credere videtur, in annotatis ad dictam S. Patricii tripartitam Vitam pag. 182, num. 192 refert : Vide Vitam S. Cannechi ad XI Octobris. Ex qua, ejusque notis constabit omnia esse vera, quæ de ipso hic referuntur. Fuit enim natus in illa regione Kiennacta, estque ad hunc diem ejus patronus. At, licet Sanctus in dicta regione natus, ipsiusque patronus sit, quis ex eo S. Patricium illa vaticinatum fuisse, fieri consecrarium dicat? Inde S. Patricium, si re ipsa de Sancto nostro talia prædixerit, vera prænuntiasse, solum conficitur. Ut sit, cum nullus, quod sciam, inter S. Patricii biographos, si anonymum dictæ Vitæ tripartitæ auctorem excipias, hujus vaticinii mentionem faciat; cumque de illius tripartitæ Vitæ antiquitate et auctoritate nihil certi possimus constituere, non est, cur cum Colgano, Sanctum Hiberniæ apostolum Sancti nostri nativitatem prædixisse, nulla veterum monumentorum auctoritate præeunte credamus.*

Sancti parentes et patria.

10 Cannici patrem Laydecum nomine fuisse Usserius in Chronologico citati operis indice scribit, addens eum poetam fuisse, atque ex Dalani familia originem traxisse. Auctor Vitæ ineptæ, supra memoratæ, Sanctum ex honesta, at pauperi stirpe, patre etiam Laydeco poeta venerabili, fratre vero Melda nomine de nepotibus Maguais ortum refert. Quod ad Sancti patriam spectat, auctor Vitæ tripartitæ apud Colganum in Triade, ut statim dicimus, S. Patricium vaticinantem inducit de S. Cannico in Kiennacta Hiberniæ regione nascituro, illudque etiam in Sancti nostri Vita, teste, qui ipsam legit, Colgano, refert, numero superiori lectorem monuimus. Nec in hoc capite Vita nostra Ms., quæ S. Cannicum in Kien-

nactæ regionis loco, Vallis pellis dicto, in lucem editum refert, discrepat : Sanctus igitur, habet, Kannechus in regione Kannachte, in valle pellis natus est; sed in regione nepotum Maguias in loco, qui dicitur Kennbuge, nutritus est.

11 Cum jam S. Cannicus pueritiam excesserat, ex Hibernia in Britanniam transnavigavit, ibique religioso ac sapienti abbati nomine Doco se erudiendum tradidit. Disco id ex sequentibus Sancti nostri biographi verbis, apud Usserium in Britannicarum ecclesiarum Antiquitatibus pag. 952 et 953 relatis : Cum S. Cannicus crevisset, et perfectus esset sensu; voluit scientiam discere, et religiosæ vitæ vacare. Perrexit ad mare, transnavigavitque in Britanniam ad virum religiosum et sapientem nomine Docom. Legit vero apud illum sedulo, et bonos mores didicit. Idem etiam, qui S. Cannici Officium ecclesiasticum Parisiis anno 1620 ediderunt, referunt : Britanniam, habet ipsius Officium, petit (Sanctus) et apud venerabilem abbatem nomine Docom litterali scientiæ, sanctæque religioni se tradens, cum eo in docibitate atque obedientia aliquot annis permansit. R. D. Godescardo in Opere, cui titulus Vitæ SS. Martyrum, aliorumque etc., Parisiis anno 1783 Gallice edito, ad XI Octobris diem inter pauca, quæ de Sancto nostro scribit, ipsum in Cambriam, magnam Angliæ provinciam, Valles Angliæ, et Gallias le pays de Galles, ad Docom, quem Sancti titulo insignit, transnavigasse, sic refert : S. Cannicus adhuc juvenis aliquot annis in Cambria sub S. abbatis Doci disciplina vixit. Quis fuerit iste Docus, qui ab erudito Godescardo hic Sancti titulo honoratur, vel cui monasterio præfuerit, huc usque reperire haud potui : interim, si S. Cannicus a quodam abbate nomine Doco instructus fuerit, equidem non in Anglia ab ipso in religione et scientia ecclesiastica eruditum fuisse certum est; nam tunc temporis nec monachos, nec abbates ibidem vixisse; atque tantum anno 596 in Angliam sacerdotes, qui infideles hujus insulæ incolæ converterent, a Gregorio I missos fuisse, omnino constat.

12 Auctor Vitæ S. Finniani, seu Finnini abbatis, apud Colganum die XIII Februarii pag. 395, cap. 19, S. Cannicum, in Hiberniam jam reversum, sub hujus abbatis disciplina, in monasterio Cluain-Ervardensi, quod Colganus in Annotatis hodie Clonardiam dictum et in confinibus Lageniæ et Midliæ situm ait, eruditum fuisse sic tradit. In hoc ergo loco, inquit, velut sol in medio cæli, radios virtutum et salutaris doctrinæ atque miraculorum illustrando mundum (Finnianus) emisit. Fama enim bonorum operum ejus ex diversæ terræ partibus viros illustres partim ad Scripturam sacram addiscendam; partim ad ecclesiasticam institutionem percipiendam, quasi ad quoddam totius sapientiæ admirabile sacrarium attraxit. Quorum nomina sunt duo Kyerani; Kyeranus filius artificis, qui Mac-an-Tsoir dicitur et Kyeranus Saighre; Columba-Kille et Columba filius Crimthainn.... et Rainnechus.... Et hi omnes sancti viri ac virtutibus pleni erant. Acta S. Finniani, inter Prætermisissos relati ad diem XIII Februarii, Majores nostri ad XII Decembris distulerunt : interim, cum apud Colganum in annotatis ad hujus sancti vitam ipse

a S. Doco institutus

E

in disciplinam S. Finniani transit: deinde



A ipse anno 552 ex hac vita migrasse, dicatur, et S. Canticus, ut infra videbimus, anno circiter 515 natus, circa annum 597 mortalem vitam cum immortalis commutarit, nulla chronologica ratio vetat, quo minus Sanctus noster S. Finnianum discipulus audierit.

monasterium Achadhboense condit.

13 Sancti gesta sub Finniani disciplina memoriae prodita non reperi. Apud Colganum, et Usserium variis locis legimus quidem S. Canticum in comitatu inferiori Ossoriae, in loco Achadh-bo dicto, quem Adamnanus in Annonatis ad Vitam S. Columbæ Campulum-Bovis Latine appellatum asserit, monasterium condidisse, quod postea Kilkenny, quod Fanum Canticum interpretantur, dictum urbi et comitatu Ossoriae nomen dedisse videtur; at nullam chronologicam notam. qua tempus, quo monasterium illud a Sancto ædificatum fuerit, determinari queat, reperire potuimus: unde his rebus supersedemus. Nunc restat nobis, ut quædam ad Sancti gloriam facientia ex SS. Columbæ, et Mochoemoci seu Pulcherii, quibuscum S. Canticus familiaris fuisse dicitur Vitis, in nostro Opere editis, lectori ob oculos ponamus.

S. Canticus, ignem globum circa S. Columbæ sacri-ficantis caput apparere, ex socio aucti:

14 Porro Canticus, dum in suo Achadh-boensi seu Kill-Kenniensi monasterio jam ipse abbas præesset, S. Columbam quandoque adisse videtur. Ita discimus ex Vita S. Columbæ in nostro Opere ad diem 1x Junii edita, quæ pag. 232 sequentia refert: Alio in tempore quatuor ad Sanctum visitandum Columbam monasteriorum Sancti fundatores de Schotia transmeantes in Hymba eum invenerunt Insula, quorum illustria vocabula Concellus, Cahinnechus, Brendanus, Cormacus. Hi uno eodemque consensu elegerunt, ut Sanctus Columba coram ipsis in ecclesia sacra Eucharistiæ consecraret mysteria. Qui eorum obsecundans jussioni simul cum eis die Dominica ex more post Evangelii lectionem, ecclesiam ingreditur, ibidemque dum Missarum sollempnia celebrarentur, sanctus Brendanus, sicut post Concello et Cahinneco intimavit, quemdam crinosum igneum globum, et valde luminosum de vertice sancti Columbæ ante altare stantis, et sacram oblationem consecrantis, tam diu ardentem, et instar alicujus columnæ sursum ascendentem vidit, donec eadem perficerentur sacrosancta Mysteria.

S. Columbam preitus a naufragio cecidit:

15 Citato in Opere nostro loco pag. 216 sequens de Sancto nostro prodigium legitur: Alio quoque in tempore sæva nimis insistente et periculosa tempestate, sociis, ut pro eis Dominum sanctus (Columba) exoraret, inclamantibus; hoc eis dedit responsum, dicens: hæc in die non est meum pro vobis in hoc periculo constitutis orare, sed est abbatis Cahinnichi sancti Viri. Mira dicturus sum: eadem hora S. Cahinnichus in suo conversans monasterio, quod Latine Campulus-bovis dicitur, spiritu revelante Sancto supra dictam S. Columbæ interiore cordis aure vocem audierat. Et cum forte post nonam cepisset horam in oratorio Eulogiam frangere, oculus deferit mensulam, unoque in pede inhaerente calceo, et altero præ nimia festinatione relicto, festinanter pergit hæc cum voce ad ecclesiam: Non est nobis nunc tempus prandere, quando id mari periclitatur navis S. Columbæ. Hoc enim nomen Cahinnichus ingeminans commemorat, ut pro eo et sociis periclitantibus exo-

ret. Post hæc illius verba oratorium ingressus flexis genibus paulisper oravit, ejusque orationem exaudiente Domino, illico tempestas cessavit, et mare valde tranquillum factum est. Tum dein sanctus Columba Cahinnichi ad ecclesiam præparationem in spiritu videns, quamlibet longe conversantis, mirabiliter hoc de pectore puro profert verbum, dicens: Nunc cognovi, o Cahinniche, quod Deus tuam exaudierit precem: nunc valde nobis proficit tuus ad ecclesiam velox cum uno calceamento cursus. In hoc itaque tali miraculo amborum, ut credimus, oratio cooperata est Sanctorum.

16 In S. Mochoemoci seu Pulcherii Vita ab auctore coævo scripta, et in Opere nostro ad diem XIII Martii edita, sequentia, quæ Sanctum nostrum cum S. Pulcherio familiarem fuisse probant, leguntur: Quodam, inquit biographus pag. 286, die constituto B. abbas Kainnicus promisit se venturum hora nona ad S. Pulcherium usque ad Liath. Hanc promissionem S. abbas Kainnicus oblitus est, usque ad nonam diem in suo monasterio manens, Achadh-bo videlicet in regione Ossrige: recordatus autem ingemuit ad Deum, quia non implevit, quod promisit Sancto: et inspiratus Dei dispensatione cœpit currere: sed tam cito agitatus est, quod ipsam nonam in monasterio Liath cum S. Pulcherio cantavit: Deus qui eum conduxit citissime, ipse scit, quid illi accidit, quia sibi et nobis latebat, nisi quod ipse viribus ambularet suis. Iter jam unius diei multis pedibus inter ipsa duo monasteria Liath et Achadh-bo constat; et præcepit S. Pulcherius balneum præparari, et ait S. Canticus: Canta nobis, frater interim Missam, donec fratres de obedientia redeant: sed S. Kainnicus noluit. Sedentes postea in refectorio ad mensam, B. Kainnicus abscidit panem, sed sanguinis rivum de pane in terram concurrere fratres viderunt. Tunc ei leniter dixit S. Pulcherius: Domine pater, redeamus ad ecclesiam, et sacrificia Deo sacrificium laudis, quia hoc ego et fratres valde ambimus. Et B. senior Kainnicus tunc Missam Deo cantavit, sicut desiderabat S. Pulcherius. Reversis autem Sanctis post sacrificium, panem nitidum sine abscissione viderunt: et gratias Domino Jesu Christo agentes, comederunt eum cum lætitia spirituali.

AUCTORE J. B. F.

conficit brevi spatio iter unius diei et coram S. Pulcherio sacrificat: deinde

cum S. Pulcherio aliisque Sanctis, S. Mochoemoci benedicit.

17 Idemque biographus in eadem S. Pulcherii Vita cap. 4, pag. 287 hæc habet: Quamdã cellam S. Pulcherius suo commendavit discipulo, qui vocabatur Mochumbæ, et ipse ædificavit ibi primitus ecclesiam et refectorium. Interea S. Pulcherius et S. Kainnicus et S. Molua filius Coche, et S. Mofecta convenerunt una nocte ad eandem cellam; nullaque domus ibi tunc erat tecta nisi ecclesia sola. Et ille discipulus præpositus loci ait illis: Ite vos in ecclesiam, quia aliam domum paratam non habemus. S. Mofecta, qui dicitur et Fecheanus, ait ei: Non; sed ibimus ad refectorium, quamvis sit nudum, et Deus noster non sinet ventum ventum vel pluviam super nos descendere hæc nocte. Comedentes ibi Sancti, id est, in refectorio nudo et manentes illic, postea S. Molua dixit: In hoc loco, in quo facta est hæc nobis caritas tanta, abundantia divitiarum semper erit. S. Pulcherius dixit: Hoc nudum culmen meum, sub quo Dominus nos hæc nocte tempesta defendit a nocte et pluvia, benedictum erit, et clarum ædificium hic non deficiet



AUCTOR  
J. B. F.

deficiet usque in æternum. S. Kainnichus dixit: Filius mortis in hoc loco non morietur. Ita Sancti benedixerunt illum locum, et benedictio illorum semper non fallitur ibi. Et recedentes inde Patres, ille pius discipulus Mochumbe, magister loci, ait eis: Me solum, sancti Dei, hic dimittitis? Dixerunt ei Sancti: spiritualiter hic tecum erimus: et tu eris Sanctus in hoc loco, et tu nobiscum ad iudicium Dei convenies: et hoc signum habebis. Tunc Sancti quinque parvos lapides posuerunt ibi in sancto cœmiterio, qui usque hodie immobiles ibi gratia Sanctorum permanent, in signum suæ promissionis, et nemo potest illos inde movere. *Plura Sancti gesta lectori communicanda non habeo.*

Anno 599 vel  
598 ex hac vita  
migrat.

18 Nunc restat, ut in ejus obitus tempus inquiramus. Quotquot S. Cannici seu præclara facto posteritati tradiderunt, seu cultum promovere allaborarunt auctores, hi omnes, inquam, si Wilsonium, qui sancti mortem plus duobus integris seculis serius statuit, excipias, ipsum seculo 6 ex hac vita migrasse, unanimi consensu scribunt; at in dicti seculi anno, quo obierit, assignando haud omnino consentiunt. Usserius citato supra libro pag. 957 Sanctum anno 527 natum, Incarnati verbi anno

599 ex hac vita migrasse sic refert: Anno DCCCXXVI S. Cannicum in lucem editum, DCCXCIX diem suum obiisse, ex nostris Annalibus didicimus. Qua ratione LXXII tantum annos vixisset: quum octogesimo quarto ætatis suæ anno felicem animam tradidisse deo, in incerto quodam Vitæ ipsius scriptore invenerim. *Idem auctor dictis Annalibus adhærens, in Indice chronologico, ad operis sui calcem edito, Sanctum anno 528 primum lucem aspexisse, ac anno 599 obiisse scribit. Usserium secutus R. Dominus Godescardus, citato supra loco S. Cannici nativitatem etiam anno 527, ipsiusque mortem anno 599 illegat. A laudatis jam duobus hisce scriptoribus dissentiens Colganus, in Triade Thaumaturga S. Cannicum anno 515 natum, atque reparatæ salutis nostræ anno 598 ad cœlestem patriam, secundum quatuor Hiberniæ Annalium magistros, fuisse evocatum, refert. Colgano Castellanus in Martyrologio Universali, et Parisiensis Martyrologii auctor consentientes, S. Cannicum etiam anno 598 mortalem vitam cum immortalitate commutasse scribunt. Utri jam opinionum sit subscribendum, mihi in promptu non est definire.*

## DE S. EUFREDO

PRO MARTYRE CULTO

ALBÆ POMPEIÆ IN INSUBRIA

C. B.

SYLLOGE

Sancti cultus ecclesiasticus certus; reliqua fere omnia incerta.

SEC. FORSAN VII.  
Sanctus, qui,  
quamvis nullis  
Fastis sacri-  
antiquis inscri-  
ptus, certo ta-  
men

**E**t si S. Eufredum nulli prorsus ex hagiologis sive antiquis sive recentioribus, si Ferrarium et Castellatum, qui eum hodie annuntiant, exceperis, in fastis sacris a se contextis usquam commemorent, ecclesiastico tamen cultu Albæ Pompeiæ, quæ episcopalis ducatus Montis-ferrati in Insubria ad Tanarum fluvium civitas est, nostrum istum Sanctum, cujus etiam ibidem in cathedrali ecclesia, uti infra videbimus, sacrum corpus quiescit, quotannis hodie et quidem antiquitus, gaudere Clarascique, quod oppidum inde septem P. M. obest, ædem sacram, a nomine suo dictam, præterea habere, fidem facit scriptum, in D. Theobaldi Regii, notarii Albensis, qui id verosimiliter (Operis nostri tom 1 Junii in beato Theobaldo num. 3 videsis) sec. XVI labente contexit, Protocollo inventum ac ab Hyacintho Baresiano Vitæ Italicæ Margariæ Sabaudicæ pag. 153 et seqq. intectum. Id enim, quod Sanctorum, quorum corpora in cathedrali Albensi ecclesia requiescunt, catalogum seu inventarium, ut aiunt, exhibet, sequentia isthæc Italica, quæ Latina factio, verba complectitur: Est præterea ibidem

(Albæ Pompeiæ videlicet in cathedrali, quæ S. Laurentio martyri sacra est, ecclesia) corpus S. Eufredi martyris, qui pariter (non secus nimirum, ac Sanctus, qui in eodem Scripto ante memoratur, Frontinianus) pro canonizato habetur, lipsantheocæque, quæ in dictæ cathedralis ecclesiæ sacristia invenitur, inclusus festo et officio, idque antiquitus, XI Octobris die honoratur. Clarasci exstat ecclesia, erecta in honorem dicti sancti Eufredi, qui in energumenis et amentibus sanandis elucet.

2 Cum Castellanus, qui Eufredum idcirco indubie, quod Clarascum, ubi is e jam dictis ædem sacram, a nomine suo dictam, habet, in comitatu Astensi situm sit, in comitatu isthoc, non autem Albæ Pompeiæ, ubi corpus ejus in honore esse ait, annuntiat, Martyris titulo Sanctum non distinguat, verosimiliter scriptum illud, in quo is disertè, uti e scripti ejusdem modo hic recitatis verbis liquet, titulo illo donatur, præ oculis haud habuerit, cerleque, si secus habeat, sequendum sibi haud duverit. Nec certo idem scriptum usurpasse censendus est Ferrarius. In Sanctorum enim Italiciæ catalogo de S. Eufredo, ut in titulo

cultu ecclesiastico gaudet,